



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopo Magvntinensi apostolicæ sedis Legato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

excessu sæpedito mandatis. Vnde nobis dicta mulier supplicavit ut eum illum non religionis contemptus, sed necessitatis articulus impediens quod minus ad sedem accesserit apostolicam absolvendus, super absolutione ac sepultura ipsius dignemur misericorditer providere. Quia vero sicut in contumacia persistentibus rigidus esse nos convenit, sic humiliatis ad poenitentiam negare gratiam Ecclesie non debemus, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus si prædictus S. dum adhuc viveret, satisfactionem condignam promissit vel sufficiens de satisfactione mandatum, & aliis manifesta in eo poenitentiae indicia præcesserunt, cum psalmo poenitentiali, oratione dominica, & aliis consuetis, defuncto absolutionis beneficium impendatis, tradi facientes corpus ejusdem ecclesiastica sepulture, dummodo* contra terræ consuetudinem ex hoc grave non debeat scandalum generari. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Vos denique, filij Abbates &c. Datum Laterani III. Idus Maij, pontificatus nostri anno XVI.

* Vide cap. sincerum. De sepultura. in 4. collect.

ARCHIEPISCOPO MAGYNTINENSI
apostolicæ sedis Legato.

Epist. 70.
De negotio Episcopi Herbipolensis.

Licet injunctæ tibi legationis processum in pluribus commendemus, super negotio tamen Herbipolensis Ecclesie, quantumcunque tuæ fraternitati deferre velimus, non possumus salva conscientia commendare, in quo etsi forte zelum habueris, non tamen secundum scientiam habuisti, cum in destitutione unius & substitutione alterius processeris minus iuste. Nos quidem receptis olim super hoc litteris tuis per dilectum filium Decanum de Onoldesbath meminimus respondisse quod cum disponente Domino simus in sede justitiæ constituti & omnibus in justitia debitores, negare non debemus alicui quod postulat ordo juris. Vnde mandavimus ut si forte substitutus & destitutus de jure suo vellent in judicio experiri, præfigeres eis terminum competentem quo se nostro conspectui præsentarent iustum iudicium recepturi. Accedente autem ad nostram præsentiam dilecto filio Deutauto clerico procuratore venerabilis fratris nostri Othonis Herbipolensis Episcopi super eo quod diceris nolle ratum habere processum venerabilis fratris nostri Magdeburgensis Archiepiscopi apostolicæ sedis Legati circa Episcopum memoratum ad communionem & gratiam Ecclesie de mandato nostro receptum & ad regimen Herbipolensis

Vide lib. 15.
epist. 126.

Ecclesie restitutum, fuit inter alia propositum coram nobis & in nostro regesto receptum quod cum olim apostolica sedes ad vindicandam crudelem & lacrymabilem mortem bonæ memoriæ Conradi Herbipolensis Episcopi, Petri exeruerit gladium, ut sicut notorius erat interfectorum excessus, sic memorialis esset in generationem ac generationem sceleris perpetrati vindicta, inter cetera statuit ut tam homicidæ ipsi quam heredes eorum universis feudis & beneficiis Herbipolensis Ecclesie, quam specialiter offenderant, & Ecclesiarum etiam ceterarum, cum in ea læserint Ecclesiam generalem, carerent in perpetuum, illa nullo tempore habituri nisi forsan aliquando de speciali apostolicæ sedis indulgentia secutura posteritas misericordiam mereretur. Et cum nec tutum nec honestum existeret ut iste Henricus, qui dicitur substitutus, filius Henrici de Ravensburg fratris Botonis, cujus pater & patruus fuerunt in necem memorati Episcopi machinati, consiliis Herbipolensis Ecclesie interesset, bonæ memoriæ Guidoni Penestrinensi Episcopo, tunc apostolicæ sedis Legato, dedimus in mandatis ut ei auctoritate nostra per commutationem idoneam in alia Ecclesia ab Herbipolensi remota appellatione postposita provideret, præbendam illius alij collaturus. Et quidem eam gerimus de tua circumspectione fiduciam quod si hoc in tuam deductum fuisset notitiam, sic circa prædictum Henricum, quantumcunque ipsum dilectionis brachiis amplectaris, nullatenus processisses. Verum ne demus Herbipolensi Ecclesie labores pariter & dolores, & memoratum Henricum inutiliter laborare contingat, eum quem à præbenda Herbipolensis Ecclesie olim decrevimus amovendum, à regimine ipsius Ecclesie perpetuo removemus, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus supradictum Herbipolensem Episcopum, cum parte Othonis reprobis penitus abdicata publice ad Ecclesie devotionem reversus catholice parti patenter adhæserit & potenter, super Ecclesia sæpedita de cetero non molestes, ut qui persequeris vitium in averso, amplectaris in converso virtutem. Sic etenim decrevimus expedire, quoniam speramus quod si beneficiorum non erit ingratus, se tanto devotioem exhibere studebit quanto majorem invenit gratiam post offensam. Tu denique, frater Archiepiscope &c. Datum Laterani VI. Idus Junij, pontificatus nostri anno decimosexto.

Vide chronicon Hirsaug. ad an. 1102 & Odor. Raynal. ad an. 1101. §. 45. & 609.